Certum eſt etiam, poſſe Eccleſiam pœna temporali eos mulctare, non propter infidelitatem, ſed in caſu, cum inter Chriſtianos commorantes aliquam culpam committant, ut docet S. Thom. citato *art.* 9. Hac de cauſa C. *Sæpe* 28. *q.* 1. pœnam publicæ cædis, ſcilicet, verberationis comminatur Judæis, ſi cum recenter a Judaiſmo converſis converſati fuerint. Hac de cauſa lex *Judæis*, Cod. de *Judæis* jubet, eos cum omnibus comparticipibus igne puniri, ſi aliquem ex ſuis, volentem Chriſtianum fieri, ſaxis, aut alio genere furoris aggrediantur. Inſuper ſi mancipium Chriſtianum Judæus circumcidat, aut cogat circumcidi, plectitur pœna capitis. Hac de cauſa ſi Judæi fidem, & Religionem Chriſtianam oppugnent, ſi res, vel Imagines Sacras proterant pedibus, ſi in Chriſtum maledicta proferant, in eos animadvertitur Lege *Hac valitura* Cod. de Judæis. Et Cap. *Poſtulaſti* de Judæis, Decernuntur pœnæ pecuniariæ, vel aliæ, quibus mulctari debet Judæus, ſi manus violentas injecerit in Clericum: & ſi haberi non poſſit, vel dominus neglexit curare, ut ſatisfaciat læſo; interdicuntur Chriſtiani ab ejus commercio, donec ſatisfactionem exhibeat. Et ratio omnium eſt: Quia Judæi, qui in ditione Eccleſiæ, & Principum Chriſtianorum ſunt, eis in temporalibus ſunt ſubjecti; ſicque jus in eos habent, ſicut in cæteros ſubditos. Certum etiam eſt, poſſe hæreticæ pravitatis Inquiſitores in multis inquirere, cognoſcere, & animadvertere in Judæos, in decem caſibus expreſſis in Conſtit. Gregorii XIII. quæ incipit: *Antiqua Judæorum*.

VII. Supereſſet videre: an ſint etiam pœnæ temporales contra Judæos nimia familiaritate communicantes cum Chriſtianis: ita ut non ſolum debeant cenſuris puniri Chriſtiani, verum & ipſis Judæis communicantibus pœnæ ſint infligendæ.

Reſpondeo, in duobus, ob familiaritatem, ſtatui pœnas contra Judæos. Primo. Si communicent cum eorum Neophitis recenter ad fidem Catholicam converſis, ut vidimus in cap. *Sæpe*, ubi pœna fuſtigationis publicæ indicitur. Secundo. In caſu, quo retinerent apud ſe mulieres Chriſtianas: de hoc enim ſtatuit Bulla ſupra citata Gregorii XIII. Et cap. *Etſi Judæos* de Judæis, privans eos commercio Chriſtianorum in pœnam habendi nutrices, & famulos Chriſtianos. In aliis caſibus, eſto nullas viderim pœnas determinatas a jure, dicit Sylveſter, puniri libere poſſe pœnis corporalibus arbitrariis ab Epiſcopis, Principibus, & Inquiſitoribus. De quo Albitius *cap.* 31. fere toto.

§. II.

De Communicantibus cum Hæreticis, & Apoſtatis.

VIII. Circa Hæreticos dicit D. Thomas, *art.* 9. citato, interdictam eſſe communionem cum ipſis in pœnam defectionis a fide, quam ſuſceperant. Unde vitandos eſſe, tamquam excommunicatos excommunicatione majori, ſtatuunt jura *Cap. Achatius* 24. *qu.* 1. *Cap. Cum Chriſtus*. *Cap. Sicut ait*, *Excommunicamus itaque*. *C. Excommunicamus*, *& anathematizamus*, *de Hæret. &c.* & §. 1. Bullæ Cœnæ. Quæ pœna contrahitur ipſo jure. An autem hæc excommunicatio contrahatur jure divino, vel tantum humano, diſcordes ſunt Doctores. Jure divino contrahi ſentiunt aliqui: quia eam inflictam inveniunt ab Apoſtolo. Tum 1. *Cor.* 5. occaſione Corinthii cujuſdam inceſtuoſi, de quo ſupra. Tum ad Titum, 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita*. Alii tamen ſolo jure humano inductam eſſe, & quidem communius, cenſent; Paulum autem citatis locis non legem divinam promulgaſſe, ſed Eccleſiaſticam, & humanam conſtituiſſe.

IX. An vero ſtatim ac hæretici ſint vitandi, quamvis videretur conveniens, cum ob bonum Fidelium, ne converſando cum illis exponerent ſe periculo perverſionis; tum ob bonum ipſius hæretici, ut nempe, prohibitus converſari cum Fidelibus, ſe ipſum recognoſcat, & facilius reſipiſcat. Nihilominus poſt Conſtitut. *Ad vitandam*, ſive a Concilio Conſtantienſi, ſive a Martino V. in eodem Concilio, Hæreticum quamvis publicum, & notorium non tenemur vitare, *Niſi ſententia*, *vel cenſura hujuſmodi fuerit in*, *vel contra Perſonam*, *Collegium*, *Univerſitatem*, *Eccleſiam*, *Communitatem*, *aut locum certum*, *vel certa a Judice publicata*, *vel denunciata ſpecialiter*, *expreſſe*. Immo, ut hæreticus ſit denunciatus, & vitandus, ſatis non erit, ut in ſententia declaretur, eum eſſe hæreticum; ſed requiri videtur ulterius, ut in ſententia exprimatur, illum eſſe hæreticum, & cenſuras incurriſſe. Quia Conſtitut. *Ad vitand.* vult, ut cenſura fuerit ſpecialiter, & expreſſe publicata, & denunciata. Hinc Catholici commorantes in regionibus, in quibus impune graſſatur hæreſis, tuta conſcientia poſſunt cum hæreticis, niſi aliud obſit, puta, periculum ſubverſionis, converſari, & illis communicare; non tamen in ritibus: hoc enim, ut vidimus, eſſet proteſtari eorum ſectam, nec eorum funera comitari, ut declaravit S. Congregatio 30. Martii 1628.

X. In caſu tamen extremæ neceſſitatis, puta, in articulo mortis, licitum eſt, ab hæretico non ſolum recipere Baptiſmum, ut patet ex C. *Si quem forte* 24. quæſt. 1. quod ſumptum eſt ex Auguſt. *lib.* 1. *de Bapt. contra Donat. cap.* 2. ſi tamen legitima forma, & materia eum conferat: ſed etiam, ſi talis hæreticus ſit Sacerdos, poteſt ei confiteri, & ab eo valide abſolvi, ut enim docet Tridentinum, *Seſſ.* 14. *cap.* 7. in articulo mortis *omnes Sacerdotes*, *quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis*, *& cenſuris abſolvere poſſunt*. Dummodo tamen aliis Fidelibus non præbeatur ſcandalum, nec ſit alius Sacerdos Catholicus, nec ſit periculum, ut Fidelis ab hæretico pervertatur: & tandem probabiliter credatur, Sacerdotem hæreticum adminiſtraturum hoc Sacramentum ſecundum ritum Eccleſiæ.

XI. Similiter ab hæretico, vel ſchiſmatico poteſt in articulo mortis conſtitutus Sacramentum Euchariſtiæ recipere. Hoc enim Sacramentum eſt valde utile per modum Viatici ad ſalutem: &, ut probabile eſt, interdum poteſt conferre primam gratiam. Fieri enim poteſt, ut infirmus, qui ſolum eſt attritus, vi Sacramenti fiat contritus; & ſic recipiat gratiam, & ſalvetur: & eadem ratione ſumi poteſt ab hæretico, vel ſchiſmatico Sacramentum extremæ Unctionis. Neque objicias, S. Ermenegildum Regem maluiſſe mori, quam Euchariſtiam recipere ab Epiſcopo Ariano. — Nam caſus non eſt ad rem. Quia S. Ermenegildus non erat in articulo mortis, ſed cogebatur Euchariſtiam recipere in Paſchate a miniſtro Ariano: ut eſſet ſignum, quod ipſe conſentiret patri in hæreſi Ariana. Unde talis ſumptio erat ſignum proteſtativum Arianæ ſectæ, quod non licebat: & nos in tali circumſtantia non licere dicimus.

XII. Ratio autem horum omnium eſt. Quia in Sacerdote, vel Epiſcopo hæretico vere manet poteſtas Ordinis, qua Sacerdos hæreticus vere conficit Sacramentum: & Epiſcopus hæreticus, ſi quem ad Ordinem promovet ſervans debitam materiam, formam, & intentionem, ille valide ordinatus exiſtit. Poteſtas enim Ordinis eſt a Deo, & habetur per conſecrationem, imprimitque characterem; qui, utpote indelebilis, facit, quod etiam poteſtas Ordinis indelebilis ſit.

XIII. Neque dicas, C. *Degradatio*, de pœnis in Sexto dicitur, quod Epiſcopus degradans hæc verba proferat: *Auctoritate Dei Omnipotentis . . . . ac noſtra tibi auferimus habitum Clericalem*, *& deponimus*, *degradamus*, *ſpoliamus*, *& exuimus te omni Ordine*, *beneficio*, *& privilegio Clericali*. Super quæ Gloſſa reprehendit opinionem dicentium, degradatum vere conficere poſſe Sacramentum Euchariſtiæ.

XIV. Reſpondeo enim, verba illa ſolum oſtendere, degradatum ſpoliari, exui, & privari exercitio Ordinis, non poteſtate. Sic etiam C. *Arianos* 1. q. 1. C. *Convenientibus* 1. q. 7. cap. *Si qui voluerint* ibidem. Et C. *Ordinationes* 9. quæſt. 1. Ordinationes ab hæreticis factæ dicuntur non ratæ, irritæ, non receptæ apud Catholicos quantum ad executionem Ordinum, non quantum ad poteſtatem: niſi forte, non ſervata forma ad validitatem neceſſaria, peractæ fuerint. Reprehendenda propterea eſt Gloſſa (ut in nota marginali reprehenditur) Aſſerere enim, degradatum Euchariſtiam conficere non poſſe, eſt contra communem, veram, & Catholicam ſententiam; quam, inter cæteros, docet S. Th. 3. *p. q.* 82. *art.* 8. de quo ſuo loco.

XV. Quod ſi loquamur de quadam extenſione poteſtatis Ordinis ad Sacramentalia, ut ad conſecrationes Eccleſiarum, altarium, vaſorum ſacrorum, benedictiones veſtimentorum; non diffitebor, hanc ab hæretico Epiſcopo auferri poſſe: hæc enim conveniunt Epiſcopo jure humano, nec Chriſtus quidquam horum immediate inſtituit, ſed ſucceſſu temporis fuerunt ab Eccleſia inſtituta. Unde a Pontifice, vel Eccleſia auferri poſſunt in pœnam.

XVI. Quoad conjugia vero Catholicorum cum hæreticis, ea valida eſſe, illicita tamen, conveniunt omnes: Ad valorem enim Sacramenti requiritur ſolum paritas Baptiſmi in contrahentibus, quamvis in fidei profeſſione diſparitas ſit. Et proinde in C. *Decrevit*, de hæreticis in Sexto, mulier ſcienter nubens hæretico, punitur quidem privatione dotis, ſed ſeparari non jubetur. Illicite autem contrahi matrimonium inter hæreticum, & Catholicam, vel e contra, conſtat: quia prohibetur ab Eccleſia in Concilio Laodiceno ſub Silveſtro I. *Can.* 10. & 31. Carthagin. III. *Can.* 14. Ideoque Doctores omnes conveniunt, ſic contrahentes peccare mortaliter; tum ob Eccleſiæ prohibitionem; tum ob periculum ſubverſionis imminens conjugi Catholico. In regionibus tamen, in quibus Catholici vivunt permixti cum hæreticis non denuntiatis expreſſe, ex quadam tolerata conſuetudine videntur permiſſa conjugia catholicæ perſonæ cum hæretica: dummodo Catholico libere, & abſque periculo ſubverſionis, manere in Catholica Religione permittatur. Hæc tamen conſuetudo, præciſa diſpenſatione, ſuſpecta merito reputatur. Sed hæc ad Tractatum de Matrimonio pertinent.

QUÆSTIO VI.

De Compulſione Infidelium ad Fidem.

Quærit S. Th. hac 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Utrum Infideles compellendi ſint ad fidem. Quare pro explicatione ejus doctrinæ præſentem quæſtionem inſtituimus: in qua etiam cum eodem S. Doct. *art.* 10. aliqua dicemus de dominio Infidelium ſupra Fideles.

DUBIUM I.

An Infideles, qui Fidem Chriſtianam nunquam ſuſceperunt, Subditi tamen ſunt Principibus Chriſtianis, poſſint compelli ad Fidem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Infideles, ut docet S. Thom. *art.* 8. citato, aliqui ſunt, qui nunquam ſuſceperunt fidem, ſicut Gentiles, & Judæi: alii vero ſunt, qui quandoque fidem ſuſceperunt, ſicut Hæretici, & Apoſtatæ.

Ex iis autem, qui nunquam fidem ſuſceperunt, alii non ſunt ſubjecti Principibus Chriſtianis, nec de facto, nec de jure: quia ſcilicet, nec incolunt terras regionis Principibus Chriſtianis umquam ſubjectas. Alii ſunt, qui licet de facto Principibus Chriſtianis ſubjecti non ſint, jure tamen ſubjecti ſunt; vel quia rebellarunt a dominio, quod habebant Chriſtiani Principes in illos; vel etiam, qui incolunt terras regionis, cujus poſſeſſio pertinet ad Chriſtianos: ut Saraceni, Turcæ, qui occupant aliquas regiones ereptas Principibus Chriſtianis, & Eccleſiæ. Alii denique ſunt, qui de jure, & de facto ſubditi ſunt regimini Principum Chriſtianorum, ut Judæi, & Saraceni incolentes regiones Chriſtianorum, vel capti bello juſto. De his poſtremis

II. Dico. Infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, licet ſubditi ſint Chriſtianis Principibus, non poſſunt compelli ad fidem ſuſcipiendam. Contrarium ſentit Scotus in 4. *diſt.* 4. *qu. ultima* dicens, ſe credere, religioſe, & utiliter facere Principes Chriſtianos compellentes ſubditos Infideles, ut fidem, & religionem Chriſtianam ſuſcipiant. Scotum ſequitur Gabriel, Sepulveda Chroniſta Caroli V. aliique pauci. Nobiſcum ſentiunt cum S. Thom. hoc *art.* 8. communiter omnes Theologi, & Canoniſtæ.

III. Probo primo ex illo *Matth.* 10. *& Lucæ* 10. ubi Dominus mittens diſcipulos ad prædicandam fidem iis etiam, qui ex lege data tenebantur recipere Meſſiam, armavit illos, non vi coactiva, & terrifica delendi Idololatras, quali munivit Iſraelitas, Deuter. 7. ver. 5. *Hæc facietis eis: Aras eorum ſubvertite*, *& confringite ſtatuas*, *lucoſque ſuccidite*, *& ſculptilia comburite*: ſed illos munivit poteſtate faciendi miracula, ut per hæc humanum intellectum docerent, credibilem, & a Deo eſſe fidem, quam annuntiabant. Munivit illos manſuetudine, & tamquam agnos miſit in medio luporum, ut Gentium feritatem emollirent, earumque voluntates flecterent. Voluit, ut intrantes domum pacem primo offerrent, dicentes: *Pax huic domui*. Quod ſi pacem noluerit, non dixit, ut ei bellum, & vim intimarent, ſed: *Pax veſtra revertetur ad vos*. Si Civitas, vel domus eos recipere, aut audire noluerit, dixit: *Exeuntes foras de domo*, *vel Civitate*, *excutite pulverem de pedibus veſtris*; & ſolum voluit, ut eos monerent, tolerabilius in die Judicii agendum fore cum terra Sodomorum, quam cum illa Civitate, vel domo. Non dixit, quod Iſraelitis, *Deut.* 20. ut Civitatem illam oppugnarent, & percuterent in ore gladii omnem animam, quam in ea invenirent. Immo cum, *Lucæ cap.* 9. Samaritani eum noluiſſent recipere, dicentibus Jacobo, & Joanne ver. 54. *Domine*, *vis dicimus*, *ut ignis deſcendat de Cælo*, *& conſumat illos*; increpans eos, eis reſpondit Chriſtus: *Neſcitis*, *cujus ſpiritus eſtis*. *Filius hominis non venit animas perdere*, *ſed ſalvare*.

IV. Quod ſi quis dicat, hoc eſſe intelligendum de Infidelibus non ſubditis, & pro eo tempore, quo Eccleſia non ſubditis, & pro eo tempore, quo Eccleſia non habebat tantam poteſtatem temporalem, ut rebelles comprimerent;

Contra eſt. Quia tunc Apoſtoli mittebantur ad oves quæ perierant, domus Iſrael; quæ lege tenebantur recipere Chriſtum, ut Meſſiam, eique ſubjici, quarum etiam Chriſtus erat Rex: & tamen regia poteſtate in illas uti noluit. Unde *Joan.* 18. *ver.* 37. Pilato ipſum interroganti: *Ergo Rex es tu?* Reſpondet: *Tu dicis*, *quia Rex ſum ego*. Sed addidit: *Ego in hoc natus ſum*, *& ad hoc veni in Mundum*, *ut teſtimonium perhibeam veritati*. Quaſi diceret: non veni, ut homines regia auctoritate compellerem, ſed ut teſtimonio veritatis eos lucrater. Et propterea, *Marci* 16. *ver.* 15. ait Apoſtolis: *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Omnem ergo creaturam eodem modo trahi voluit ad fidem prædicatione, liberum cuique relinquens, eam ſuſcipere; comminatus ſolum damnationem ei, qui eam recuſavit: *Qui vero non crediderit*, *condemnabitur*.

V. Hanc Chriſti regulam ſecuta ſemper fuit Eccleſia, etiam poſtquam temporali Principum poteſtate munita fuit; Infideles, etiam ſubditos, monendo quidem, ſed, ſi fidem nolint ſuſcipere, patienter tolerando: quo facto etiam Romæ Judæos ſecundum ritus ſuos vivere permittit.

Quapropter cum Rex Hiſpaniarum Siſebutus Judæos ad fidem Chriſti ſuſcipiendam compellere cœpiſſet: in Concilio Toletano IV. cap. 57. anno 633. (& refertur diſt. 45. de Judæis) ſancitum fuit: *De Judæis autem hoc præcipit S. Synodus*, *nemini deinceps ad credendum vim inferre . . . Non enim tales inviti ſalvandi ſunt*, *ſed volentes*, *ut integra ſit forma juſtitiæ*. *Sicut enim homo propria arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit: ſic vocante gratia Dei*, *propriæ mentis converſione homo quiſque credendo ſalvatur*. *Ergo non vi*, *ſed libera arbitrii voluntate*, *ut convertantur*, *ſuadendi ſunt*, *non potius impellendi*.

Neque obſtat, quod in ſubſequentibus verbis Synodus illa vocet Siſebutum religioſiſſimum Principem. Nam Siſebutus fuit certe religioſiſſimus, & ex Religionis zelo motus judicavit, Judæos compellendos ad fidem; & Synodus merito laudat zelum ejus pro fide, ſed non laudat medium compulſionis quo uſus eſt: alioquin Synodus non prohiberet, quod laude dignum judicaret. Eo modo igitur laudat Siſebutum, quo in Scripturis laudatur Iehu pro zelo, quo deſtruxit Aram Baal; non pro ſimulatione, qua finxit, ſe Idola colere velle, ut Sacerdotes Baal interficeret, ejuſque Aram everteret.

VI. Hoc idem aſſeritur, diſt. 45. cap. *Qui ſincera*. Ubi S. Gregorius dicit, quod: *Qui extraneos a Chriſtiana Religione ad fidem rectam cupiunt perduci*, *blandimentis*, *non aſperitatibus debent ſtudere*. Et idem S. Greg. lib. 2. Epiſt. 52. modo lib. 3. Epiſt. 53. *Nova* (inquit) *& inaudita eſt iſta prædicatio*, *qui verberibus exigis fidem*. Clemens III. cap. *Sicut Judæi*, tit. de Judæis: *Statuimus*, *ut nullus invitos*, *vel nolentes Judæos ad Baptiſmum venire compellat*. Et Innocent. III. cap. *Majores*, tit. de Baptiſmo: *Id eſt* (inquit) *Religioni Chriſtianæ contrarium*, *ut ſemper invitus*, *& penitus contradicens*, *ad recipiendam*, *& ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur*. Id ipſum docent Chryſoſtom. *Homil.* 34. *in Matth.* Ambroſius in cap. 10. Lucæ ait: *Eos* (Apoſtolos) *enim miſit ad ſeminandam fidem*, *qui non cogerent*, *ſed docerent*. Et S. Auguſtin. *Serm.* 6. *de Verb. Domini* modo *Serm.* 62. *cap.* 11. ubi docet, debere nos Idola prius in eorum cordibus frangere, quam in templis.

VII. Et ratio eſt primo. Quia, ut docet S. Thom. hoc art. 8. *Credere voluntatis eſt*. Ut enim ait Paulus, Rom. 10. ver. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*. Et ſupra oſtendimus, pia affectione moveri homines ad fidem: ſoli enim Dæmones inviti, & coacti credunt. Secundo. Quia, ut coactio legitima ſit, compellens debet habere juriſdictionem in eos, qui coguntur; alioquin erit poteſtatis uſurpatio: ſed Eccleſia non habet juriſdictionem in eos, qui fidem nunquam ſuſceperunt, juxta illud, 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis*, *qui foris ſunt judicare?* Et (juxta Tridentinum, Seſſ. 14. cap. 2.) *Eccleſia in neminem judicium exerceat*, *qui non prius in ipſam*, *per Baptiſmi januam*, *fuerit ingreſſus*; ergo &c. Principes autem ſeculares etiamſi habeant poteſtatem politicam in ſibi ſubditos; non habent tamen poteſtatem compellendi eos ad fidem. Neque enim poteſtatem hanc acceperunt jure naturæ; cum fidei præceptum ſit ſupernaturale. Neque ex lege aliqua divina poſitiva ſtatuta a Chriſto; cum potius, ut jam oſtendimus, ipſe ſtatuerit oppoſitum; ergo &c. Tertio. Quia ſi hæc poteſtas eſſet, Eccleſia, & Chriſtiani Principes tenerentur ad fidem Infideles compellere; quia præceptum charitatis obligat, cum licite poſſumus, proximum liberare ab imminenti ruina tam corporis, quam animæ, etiam nolentem; & multo magis Eccleſia, & Principes, qui legum humanarum, & divinarum ſunt cuſtodes: qua ratione, ut dicemus, tenentur Infideles ſubditos compellere ad obſervantiam legis naturæ: ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

§. II.

Rationes Contrariæ.

VIII. Primo objiciunt. *Lucæ* 14. *ver.* 23. legitur, hominem, qui fecit cœnam magnam, cum deeſſent convivæ, qui menſam replerent, præcepiſſe ſervo: *Exi in vias*, *& ſepes*, *& compelle intrare*: atqui hi, qui ſunt in viis, & ſepibus ſunt populus Gentiles, ſicut prius, in iis, qui ſunt in plateis, & vicis civitatis intellexerat populum Judaicum; ergo Gentiles compelli poſſunt ad Eccleſiam, & fidem nomine cœnæ indicatam.

Confirmatur. Nam Deus ſæpe minis, & terroribus aliquos induxit ad fidem, ut Saulum *Act.* 9. Quo exemplo S. Auguſtinus, *Epiſt.* 50. modo 185. *cap.* 6. docet, Infideles prius lenitate traxiſſe, nimirum, prædicatione, & miraculis; poſtea tamen cum iſti non prodeſſent, terroribus compellendos.

IX. Reſpondeo primo, quod ſi per eos, qui ſunt in viis, & ſepibus, intelligere velis Gentiles, diſtinguendum eſt conſ. Compelli ad fidem compulſione, quæ ſit efficacia perſuaſionis, conc. conſ. Quæ ſit vis coactionis, nego conſ. *Compulſio illa*, *de qua ibi fit mentio*, *non eſt coactionis*, *ſed efficacia perſuaſionis*, *vel per aſpera*, *vel per lenia &c.* Ita S. Thom. *Qu.* 22. *de Verit. art.* 9. *ad* 7.

Reſpondeo ſecundo, neg. min. Ut enim obſervat S. Auguſtinus, *Epiſt.* citata (quod etiam S. Thom. in Catena aurea ponit) per eos, qui primo invitati cœperunt omnes ſe excuſare, intelliguntur Judæi: per pauperes vero, debiles, & claudos, Gentiles intelliguntur, ob variam idololatriæ ſuperſtitionem: per eos tandem, qui in viis, & ſepibus ſunt, intelligendi ſunt hæretici, & ſchiſmatici. Contra hos autem Eccleſia poteſtatem habet eos cogendi, ut tamquam filii deſertores, ad eam revertantur. Ita Auguſt. loquens de Donatiſtis: *Hi*, *qui inveniuntur in viis & ſepibus*, *ideſt*, *in hæreſibus*, *& ſchiſmatibus*, *coguntur intrare*; *non quia coguntur*, *reprehendant*, *ſed quo cogantur*, *attendant*.

X. Ad confirm. dico primo, exemplum Chriſti, de Cælo terroribus compellentis Saulum ad fidem, cum ſit rarum, & mirabile, non arguere ipſum contuliſſe Eccleſiæ ordinariam facultatem, ita agendi erga quoſcumque infideles; cum; ut ſupra vidimus, hunc modum Apoſtolis non præſcripſerit: eo vel maxime, quod Chriſtus non ſolum exterius compellere, ſed & interius convertere, ac volentes ex nolentibus facere poteſt, quod Eccleſia non poteſt.

Dico ſecundo, quod exemplum Sauli affertur ab Auguſtino contra hæreticos Donatiſtas; qui cum edictis Imperatorum compellerentur redire ad fidem, & unitatem, conquerebantur dicentes: *Liberum eſt credere*, *vel non credere: cui vim Chriſtus intulit? Quem coegit?* Unde ſolum evincit, hæreticos, & ſchiſmaticos, qui filii perditi, & deſertores ſunt, Eccleſiam poſſe compellere; non vero eos, qui Eccleſiæ filii nunquam facti ſunt: hos enim blande expectat, & invitat: *Imitatur itaque Eccleſia in iſtis cogendis Dominum ſuum*, *qui prius*, *ut neminem cogeret*, *expectavit*, *ut de fide Regum*, *atque Gentium prædicatio prophetica compleretur*. Ita S. Auguſtinus.

XI. Objiciunt ſecundo. Omnes tenentur legem Evangelicam ſuſcipere; ergo omnes poſſunt ad eam ſuſcipiendam compelli: ſicut qui eam ſemel ſuſceperunt, compelli poſſunt ad eam ſervandam.

Confirmatur. Nam Principes poſſunt in ſuo Regno condere

leges circa cultum Dei, quæ non ſint legi naturæ contrariæ: poſſunt etiam condere leges humanas, & ad iſtas ſervandas omnes ſibi ſubditos compellere; ergo & poſſunt præcipere omnibus ſibi ſubditis, eoſque obligare, ut ſervent legem divinam, & legem Evangelii.

XII. Reſpondeo, diſt. conſ. Compellitur a quolibet, nego conſeq. Ab habente juriſdictionem, conc. conſeq. Qui autem nunquam fidem ſuſceperunt, quantum ad eam ſuſcipiendam nullius hominis juriſdictioni ſubſunt; ſed ſolum Deum in hac cauſa habent Superiorem, & Judicem. Qui vero eam, jam ſuſceptam in Baptiſmo, reliquerunt; utpote jam facti Eccleſiæ ſubditi, ab ea, tamquam Religionis Chriſtianæ cuſtode, compelli, & puniri poſſunt.

XIII. Sed dices. Eſto habere fidem non ſit in natura hominis; in natura tamen hominis eſt, ut non repugnet fidei; & ſecundum hoc infidelitas eſt contra naturam, ut docet Div. Thom. hac *qu.* 10. *art.* 1. *ad* 1. ergo Evangelio propoſito, tenetur homo ex natura ſua non repugnare; ergo ſi repugnet, poterit ab Eccleſia, vel a Principe compelli.

XIV. Reſpondeo tamen, quod in natura hominis eſt, ut non repugnet fidei: in natura, inquam, ut mobili ab agente ſuperiori; qui eam conſtituit in ordine gratiæ, & ſupernaturali. Unde quantum ad hoc illi ſoli tenetur obedire: & ſi repugnet, ab eo ſolo compelli poteſt, vel puniri. Non vero ut mobili ab agente, qui eam in ordine naturali fecit; ſicque in ſuſceptione fidei Principi naturali, & terreno obedire non tenetur, niſi prius eam ſuſceperit, & ad eam ſe obligaverit: hoc autem ſuppoſito, cum factus voluntarie ſit ſubditus Eccleſiæ, ab ea compelli poteſt, ut ſervet fidem, quam vovit: eſto enim fidem ſuſcipere ſit voluntatis, ſuſceptam tamen ſervare eſt neceſſitatis. Nam *Sicut* (inquit Sanct. Thom. hoc art. 8. ad 3.) *vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis: ita accipere fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam eſt neceſſitatis. Et ideo hæretici ſunt compellendi, ut fidem teneant.*

XV. Ad confirm. dico, circa cultum Dei, ut præcipitur lege naturæ, poſſe Principem legem ferre, & ad eam ſervandam ſubditos omnes compellere. Unde quia cultus idololatricus eſt contra cultum lege naturæ Deo debitum, poteſt lege lata omnes ſibi ſubditos ad eam ſervandam obligare, & compellere: eos tamen lege obligare, & compellere nequit ad fidem Chriſti ſuſcipiendam, niſi velint. Neque per hoc tales ſubditi manerent exleges, ſive athei: quia ſemper compellerentur legem naturæ ſervare, quæ dictat, non plures Deos eſſe colendos, ſed unum ſolum.

Poteſt etiam Princeps leges politicas, & humanas ferre, ad eaſque obſervandas omnes ſibi ſubditos, etiam Paganos, ac Judæos obligare; quia in his homo ſubjicitur homini. At in cultu Dei ſecundum legem Evangelicam ſuſcipiendo, ſoli Deo homo ſubicitur: unde peccatum infidelitatis per non ſuſceptionem fidei a ſolo Deo punitur.

XVI. Objiciunt tertio. Conſtantinus Magnus laudatur, quod Idolorum templa deleverit. Carolus item Magnus, quod Saxones, & Saracenos ad fidem compulerit. Et Ferdinandus, ac Eliſabeth Hiſpaniæ Reges, quod Mauros, ac Judæos e ſuis Regnis expulerint, niſi converterentur ad fidem: imo Mauris major vis fuit illata. Nam præceptum eſt illis, ut ſi per mare abire vellent, non alia via abirent, niſi per mare Cantabriæ: ſi autem per terram, compulſi ſunt abire per montes pirenæos.

XVII. Reſpondeo ad ſingula. Conſtantinus diruendo Idolorum templa, hoc facto non compulit Paganos ad ſuſcipiendam Chriſtianam fidem; ſed ad deferendum cultum idololatricum, & ad obſervandam legem naturæ: quod quidem poterat erga ſuos ſubditos, ut nuper dictum eſt.

Carolus Magnus Saxones, & Saracenos pœna mortis mulctavit; non quia repugnarent fidem Chriſtianam ſuſcipere: ſed quia Chriſtianæ Religioni injurioſi erant, ſibique rebelles. Nam & Eccleſias diruebant; & Monachos, alioſque Chriſtianos perſequebantur, & occidebant. De quo Baronius ad ann. Chriſti 586. & ann. 716. 772. 774. & 778. Multis etiam vicibus Carolo rebellaverant: unde ex iſto etiam capite, tamquam fœdifragi, & læſæ majeſtatis rei mortem commeruerant; cujus tamen pœnæ remiſſionem indulſit Carolus iis, qui Baptiſmum ſuſcipere, & fidem Chriſtianam profiteri vellent; & hac via, poſt varia bella, eos ad veram Religionem perduxit.

Ferdinandus vero, & Eliſabeth Reges Caſtellæ (miſſis variis reſponſionibus) non coegerunt Judæos, aut Mauros fidem ſuſcipere; ſed eos, qui in ſua infidelitate vellent permanere, e Regno expulerunt. Quod eis omnino licebat, propter contumelias, perturbationes fidei, ac Fidelium perverſionem, quæ ex hujuſmodi convictu eveniebant. Quamvis enim non liceat Infideles compellere ad fidem; licet tamen eos ejicere ab illis locis, ubi periculum eſt, ne Fideles pervertant, turbaſve excitent. Hanc autem præfatis Regibus fuiſſe cauſam, conſtat ex Pragmatica expulſionis Judæorum, anno 1492. 31. Martii promulgata; & Saracenorum anno 1502. menſe Februarii. Qua ratione in concilio Toletano IV. tempore Honorii I. & Svintillæ, ſeu Chintillani Regis, anno 638. celebrato, *Canon.* 3. ſtatutum fuit: nullum conſcendere Regium ſolium, niſi promittat, nullum non Catholicum in Regno ſuo degere permiſſurum. Quod autem Mauri tali, vel tali via abire compulſi ſint, juſta cauſa fuit; ne ſcilicet expulſi, per mare Mediterraneum tranſeuntes, jungerentur Mauris Africanis, contra quos fervens bellum tunc erat: & ſic multiplicarentur hoſtes contra Hiſpaniam.

XVIII. Objiciunt quarto. Compulſio Infidelium ad fidem non eſt per ſe, & ab intrinſeco mala: ex ea autem ſequuntur multa bona. Nam quidam vere ſuſcipiunt fidem, qui fidem non ſuſcepiſſent. Alii eſto ficte ſuſcipiant, ceſſant tamen exterius blaſphemare nomen Chriſti. Et tandem eorum filii, & nepotes Chriſtiani ſunt, & ſalvi fiunt.

XIX. Reſpondeo ad primam partem, compulſionem Infidelium ad fidem, ſi fiat a non habente juriſdictionem, eſſe per ſe malam: ſicut occiſio malefactoris, quando fit a non habente publicam, aut legitimam auctoritatem, per ſe mala eſt. Cum autem Eccleſia non acceperit a Deo poteſtatem eos Infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, compellendi, ut eam ſuſcipiant; ideo talis compulſio per ſe mala eſt.

Quod ſi ex hac compulſione aliqua bona ſequuntur, multo pejora ſunt mala, quæ inde eveniunt. Ficte enim plerique accipiunt Baptiſmum, cætera Sacramenta mille ſacrilegiis contaminant: imo filios ſuos, ſaltem occulte, in infidelitate inſtruunt, & plerumque contingit, ut per multas generationes blaſphemetur Deus. Quod ſi ex iis, qui ſic convertuntur, vere convertantur, ſive ex coactis, ſive ex poſteris hi ſunt valde pauci, & admodum incertum eſt. Non ſunt autem facienda mala, ut eveniant bona, præſertim quando incertum eſt, an illa bona ſint eventura.

XX. Sed dices. Hæc mala etiam ſequi poſſunt, ſi Principes Chriſtiani gravioribus tributis onerent infideles ſibi ſubditos, quam Fideles. Fieri enim poteſt, quod Infideles, ut ejuſmodi gravaminibus ſe exonerent, nolentes, & ficte ſuſcipiant exterius Baptiſmum; & retenta infidelitate in corde, ipſi, eorumque fili innumera ſacrilegia committant: & tamen hoc licitum eſt. Et S. Gregor. *lib.* 3. *Epiſt.* 26. modo *lib.* 4. *Epiſt.* 26. *ad Epiſcop. Calaritanum* (& refertur 23. qu. 6. cap. *Jam vero*) ait: *Si ruſticus tantæ perfidiæ, & obſtinationis fuerit inventus, ut ad Deum minime venire conſentiat; tanto penſionis onere gravandus eſt, ut ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare.* Ruſticus autem ille paganus erat, ut conſtat ex eadem Epiſtola.

XXI. Reſpondeo, diſt. major. Sequi poſſunt per ſe, & ex vi impoſitionis tributorum, neg. major. Per accidens, & ex malitia eorum, qui ficte convertuntur, conc. maj. Cum enim ad exigenda tributa ab Infidelibus ſubditis Principes Chriſtiani habeant legitimum jus; quia cum ſint tamquam mancipia, Principes Chriſtiani ſunt bonorum temporalium eorum Domini; idcirco jus habent eos magis gravandis oneribus, quam Fideles, etiam ſubditos, qui ſunt liberi. Ex quo fit, quod ſi qui ad evitandum tributorum rigorem ad fidem inviti, & involuntarii venirent, irrationabiliter eſſent involuntarii: & ſi ficte Baptiſmum ſuſciperent, ex eorum malitia eſſet, eiſque eſſet imputanda fictio, non Principi. Sicut quia Eccleſia jus habet ad revocandos hæreticos ad fidem, hæreticus renuens eſſet irrationabiliter invitus: & ſi ficte reverteretur, ex ejus malitia procederet, eique in culpam vertendum eſſet. At ad compellendum Infideles minis, & terroribus, ut ſuſcipiant fidem, Chriſtiani Principes nullum jus habent, ut probatum eſt. Quare ſi Infideles inviti, & involuntarii venirent ad fidem, eſſent rationabiliter inviti; & ſi ficte Baptiſmum ſuſciperent, fictio, & omnia mala, & ſacrilegia inde ſequentia ex injuſta illa compulſione procederent: juſte enim Infidelis tueri poteſt ſuam libertatem, qua ad ſuſcipiendam fidem a nemine cogi poteſt, niſi a Deo.

§. III.

An Infideles Subditi Chriſtianis compelli poſſint ad obſervandam Legem Naturæ?

SEnſus quæſiti eſt: an Principes Chriſtiani poſſint obligare Infideles ſibi ſubditos, ut obſervent legem naturæ: ut unum Deum colant, ne blaſphement, ne furentur, ne perjurent, ne fornicentur &c.

XXII. Dico. Poſſe Principes Chriſtianos compellere Infideles non baptizatos, ſibi ſubditos, ad obſervandam legem naturæ. Ita communiter Doctores. Et prob. primo, exemplo imperatorum pietate inſignium, & Religione, qui uſi ſunt hac poteſtate: ut Conſtantinus Cæſar, qui tulit legem, quæ habetur lib. 1. Cod. *de Paganis, & Templis eorum*, qua præcipit, ut claudantur templa illorum, ne Idolis ſacrificent &c. Quam legem, ut in eodem Cod. patet, Valentinianus, aliique Cæſares confirmavere: & valde laudant Ambroſius, *Epiſt.* 30. *ad Valentinianum*. Auguſtinus *Epiſt.* 48. modo 95. *ad Vincentium*, *cap.* 3. dicens: *Quis enim noſtrum, quis veſtrum, non laudat leges ab Imperatoribus datas adverſus Sacrificia Paganorum?* Quod pluribus repetit, *Epiſt.* 50. modo 185. *ad Bonifacium Comitem*. Juſtinianus quoque ſimiles leges condidit. Imperatoribus ſeſe junxerunt Concilia, quæ toto conatu idololatriæ reliquias extinguere ſtuduerunt: ut Carthaginenſe V. *cap.* 15. & alia plura.

XXIII. Ratio autem eſt. Quia omnes nationes Gentium legem aliquam ediderunt contra vitia perturbantia pacem Reipublicæ, maxime contra blaſphemos Deorum ſuorum; ut ex Cicerone de legibus. Et Plato *lib.* 10. de legibus ſtatuit, quod qui blaſphemum audiret, defenderet Deum, & nuntiaret Magiſtratui. Indi quoque Occidentales, qui modo Regibus Hiſpanis obediunt, quibuſdam legibus olim puniebant adulteros, ſacrilegos, & blaſphemos. Erit ergo a fortiori in Chriſtiano Principe poteſtas vindicandi blaſphemiam contra verum Deum, & vitia contra naturæ legem. Conſ. prob. Quia finis poteſtatis gubernativæ eſt Rempublicam in pace, & juſtitia continere, eam inducendo, ut vivat ſecundum rationem, & virtutem; quod ſine cultu veri Dei, ac legis naturalis obſervantia haberi nequit: dicente S. Th. *lib.* 2. *de Regimine Principum*, *cap.* 16. & fuſe probante, fundamentum omnis recti regiminis eſſe cultum veri Dei; ergo in Principe erga omnes ſibi ſubditos debet eſſe poteſtas coactiva eos reducendi ad ejuſmodi obſervantiam. Lex enim naturæ omnibus intimatur, & omnes obligat, & Princeps eſt cuſtos legum.

XXIV. Confirmatur. Si Chriſtianus Princeps non poſſet compellere ſuos ſubditos, etiam Infideles, ad obſervantiam legis naturæ; nec poſſet eos compellere ad obſervantiam legum humanarum, quæ juſtæ ſunt, & conſequenter Infideles in nullo ei eſſe ſubditos: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Maj. prob. Omnes leges humanæ eatenus obligant, quatenus a lege naturæ derivantur, & ad illam melius ſervandam ordinantur.

XXV. Hinc igitur ſancte Gregorius XIII. in ſua Conſtit. edita anno 1581. quæ incipit: *Antiqua Judæorum improbitas*, poteſtatem dedit hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus libere procedendi contra Judæos, aut alios Infideles non baptizatos, in multis caſibus ibi relatis, videlicet: *Si quis Judæus, aut Infidelis, in his, quæ circa fidem cum illis nobis ſunt communia, veluti, Deum unum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium viſibilium, & inviſibilium, & ſimilia non eſſe aſſeruerit, prædicaverit, vel privatim alicui inſinuaverit. Si Dæmones invocaverit, conſulueritque, aut eorum reſponſa acceperit, ad illoſve Sacrificia, aut preces ob divinationem, aliamve cauſam, direxerit, aut quid eis immolaverit, vel thuris, alteriuſve rei fumigationem obtulerit &c.* Quibus patet in Eccleſia eſſe poteſtatem adigendi Infideles non baptizatos ad obſervantiam eorum, quæ nobis, & illis ſunt communia, & conſequenter naturæ lege præſcripta.

XXVI. Sed dices. Lex naturalis non comparatur ad hominem, ut homo ſubditur homini, ſed ſolum ut ſubditur Deo, qui ſolus condidit, & ſolum condere poteſt talem legem; ergo Paganus non ſubditur homini in obſervantia legis naturæ, ſed Deo ſoli; ergo non poteſt ab homine ad ejus obſervantiam compelli: ſicut hac ratione diximus, non poſſe compelli ad obſervantiam Evangelicæ.

XXVII. Reſpondetur, diſt. ant. Non ſubditur homini, ut auctori legis naturæ, conc. antec. Ut cuſtodi a Deo conſtituto pro ejus obſervantia, nego ant. Homo enim habens principatum in ſubditos, non eſt quidem auctor legis naturæ, ſed ſolus Deus: eſt tamen a Deo conſtitutus, ut ejus obſervantiam in ſibi ſubditos promoveat.

In quo apparet diſcrimen inter legem naturæ, & Evangelicam: cur Princeps ſit a Deo conſtitutus cuſtos generaliter pro obſervantia legis naturalis, apud quoſcumque ſibi ſubditos; non vero pro obſervantia legis Evangelicæ apud non baptizatos. Nam ab Infidelibus non baptizatis lex Evangelica non eſt acceptata: ideoque Eccleſia, vel Chriſtianus Princeps eos obligare non poteſt tamquam cuſtos. At Infideles etiam non baptizati legem naturalem una cum uſu rationis acceptaverunt, & profeſſi ſunt: quis enim homo, ſi rationis compos eſt, non aſſentiat his principiis: *Vivendum eſſe ſecundum rationem: & quod tibi non vis, alteri ne feceris?* Cum ergo ex his principiis deducantur per legitimam, & claram conſequentiam, præcepta Decalogi: fit, ut acceptans talia principia, acceptet quoque præcepta Decalogi, eiſque ſe ſubdat; & a Principe tamquam cuſtode obſervantiæ eorumdem, poſſit compelli.

XXVIII. Monet tamen Bannez, & Sylvius, non ſemper expedire, ut Princeps Chriſtianus utatur hac poteſtate compellendi Infideles non baptizatos ad ſervandam omnem legem naturæ in omni eventu, etiamſi ſubditi ſint: ne ſcilicet Infideles nimia ſeveritate a recipiendo Evangelio magis avertantur, neve alia graviora crimina, & mala ſequantur. Memores ergo eſſet debent ſententiæ Apoſtolicæ, 1. Cor. 6. ver. 12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Et quod aliquando aliqua mala permittere, ne graviora eveniant, prudentis Gubernatoris ac pii eſt: plerumque enim homines pietate magis, quam acerbitate trahuntur, & maxime ad fidem. Sic Joſaphat, & Ezechias non punierunt idololatriam populi ſui, meliorem forte oportunitatem expectantes.

Quod ſi Princeps Chriſtianus in Idololatras ob idololatriam velit animadvertere; non eos propter hanc puniat, niſi prius eam ſuis legibus prohibuerit, non enim licet peccata committi, & tolerari ſolita punire ante comminationem pœnæ. Nam eſto reſpectu pœnæ æternæ, quæ per ſe reſpondet peccato mortali, non excuſentur homines, per ignorantiam pœnæ: Princeps tamen temporalis comminari prius debet pœnam; eo quod multi abſtinerent a peccato propter metum pœnæ temporalis: quia quouſque non prohibet, tolerare videtur. Sicut cuſtos vineæ, qui videt, & tacet dum alii furantur uvas, non poteſt uti jure ſuo, accipiendo pignus, quamvis fures teneantur reſtituere Domino vineæ: ita humanus Princeps legis naturæ cuſtos, quouſque ejus tranſgreſſionem videt, & tacet, non poteſt tranſgreſſores mulctare; quamvis a Deo mulctandi ſint, ejuſque juſtitiæ ſatisfacere teneantur.

DUBIUM II.

De Infidelibus non Subditis.

§. I.

An Eccleſia Poteſtatem habeat eos compellendi ad Fidem &c.

I. DIco primo. De facto Chriſtiani Principes non habent jus Infideles non ſubditos compellendi ad fidem, nec puniendi peccata eorum contra legem naturæ commiſſa. Aſſertio hæc ex dictis præcedente Dubio conſtat. Si enim ſubditos Infideles non baptizatos non poſſunt Principes Chriſtiani compellere ad ſuſcipiendam fidem, multo minus Infideles non ſubditos: & ſicut ſubditos non poſſunt punire, ob peccata contra legem naturæ, antequam legem ferant, ita non poterunt punire non ſubditos, quos obligare non poſſunt ad obſervandam aliquam legem jam latam.

II. Nec dixeris cum Sepulveda, filios Iſrael, jubente Deo, bella geſſiſſe contra Chananæos, eoſque occidiſſe propter idololatriam, & ſimiliter multas alias Infidelium nationes; ergo ſimiliter licebit Chriſtianis &c.

Neg. enim conſ. Nam Iſraelitæ habuerunt ſpeciale mandatum Dei; qui cum ſit Dominus omnium, voluit media internecione illarum Gentium tradere Iſraelitis terras earum: ideoque hoc eis licitum fuit: ſicut licitum fuit, capta Jericho, omnes uſque ad parvulos interficere, quod ſecluſo mandato Dei fuiſſet immane facinus. At circa promulgationem Evangelii Gentibus oppoſitum Deus diſpoſuit, ut dictum eſt, & dicetur.

III. Nec dixeris iterum. Si Rex Hiſpaniæ modo invaderet Mauros Africanos, & eos vinceret, poſſet eos punire, propter peccata antea commiſſa; ergo etiam alias Infidelium nationes. Etenim;

Nego ant. In caſu enim Rex Hiſpaniæ poſſet eos punire, non propter peccata infidelitatis, vel contra naturæ legem commiſſa: ſed, vel propter commiſſa contra jus ſui Regni; vel ex commiſſione Eccleſiæ, tamquam injuſtos uſurpatores regionum, quæ quondam ſub juriſdictione Eccleſiæ, & Principum Chriſtianorum fuere.

IV. Dico ſecundo. Etſi Chriſtiani Principes jus haberent ad coercendos, & puniendos armis Infideles non ſubditos, ut eos averterent, vel ab infidelitate, & idololatria, vel a peccatis contra legem naturæ: non tamen expediret, ut hoc jure uterentur. Probo. Eccleſia enim imitari debet exemplum Chriſti, & ejus præſcripta pro Evangelii promulgatione, & idololatriæ everſione ſervare; atqui Chriſtus cum eſſet Dominus Gentium, & poſſet, ut olim Iſraelitas Deus fecit, armatos exercitus mittere, ſive hominum, ſive Angelorum, ut idololatriam everterent, & Evangelium ſtabilirent, noluit tamen: ſed potius paucos, & inermes miſit, qui Evangelium annunciantes, credentibus vitam æternam promitterent, non credentibus æternam damnationem denunciarent: qui Principibus, etſi Infidelibus, & parerent, & patientia, manſuetudine, ac demum ſanguine, ſicut ipſe eam fundavit proprio, ita & ipſi ſuo rigarent, & propagarent: & voluit, ut inter perſecutiones Tyrannorum Eccleſia adoleſceret; ergo etiam modo Principes Chriſtiani, & Eccleſia ita gerere ſe debent.

V. Confirm. Chriſtus voluit, ut Eccleſia in propagatione fidei evitet ſcandalum Infidelium. Quapropter ipſe, *Matth.* 17. ad vitandum ſcandalum, voluit tributum ſolvere: maximum autem ſcandalum, quod eorum converſionem impediret, oriretur, ſi inter armorum terrores Evangelium proponeretur Infidelibus. Immo eorum Principes odio implacabili contra Chriſtianos accenderentur: ſi ſcirent, Chriſtianam fidem ſecum trahere ſui dominii everſionem. Quare, ad hæc evitanda, monet Paulus, 1. ad Timoth. 6. ver. 1. *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi Dominos ſuos* (infideles) *omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur.* Addens ver. 3. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt, & nihil ſciens,*

§. II.

An ob Infidelitatem poſſint Infideles Spoliari ſuis Bonis, & Dominio?

VI. DIco. Infideles non ſubditi Principibus Chriſtianis, non poſſunt ob ſolam infidelitatem ſuis bonis, & dominio ſpoliari. Eſt contra Hoſtienſem, & Armacanum putantes, fidem divinam eſſe fundamentum dominii; & proinde qui carent fide, vero quoque dominio carere. His tamen omnes tum Theologi, tum Juriſtæ repugnant: imo & Scriptura ipſa, quæ Reges, quamvis infideles, Regum nomine appellat. Pſalm. 2. ver. 1. *Aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum.* Matthæi 2. Herodes ſæpius vocatur Rex. *Lucæ* 22. *ver.* 25. ait Chriſtus; *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur.* Agnovit ergo Chriſtus in Regibus Gentium poteſtatem. Unde *Matth.* 22. interrogatus: an liceret tributum dare Cæſari, reſpondit ver. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.*

VII. Ne autem quis dicat, Infideles habere quidem poſſe verum dominium ſupra Infideles, non autem ſupra Fideles: hi enim cum per fidem facti ſint liberi, Infidelium dominio non amplius ſubjiciuntur.

VIII. Noverit hoc crimine, per calumniam notatos fuiſſe Chriſtianos, ut videre eſt apud Tertullianum, quaſi Imperatorum majeſtatem non venerarentur: quos ipſe, *lib. ad Scapulam*, *cap.* 2. egregie ab hac nota abſtergit, dicens: *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur, & honoret... Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem... Itaque & ſacrificamus pro ſalute imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius: ſed quomodo præcepit Deus, pura, prece. Non enim eget Deus Conditor univerſitatis odoris, aut ſanguinis alicujus.*

Hæc Tertullianus conciliāns Imperatoris reverentiam cum Religione Chriſtiana. Et merito. Nam ait Paulus Rom. 13. ver. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo; quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Ita Paulus: cum tamen ii, ad quos ſcribebat, eſſent Fideles, & Principes tunc temporis Infideles eſſent.

IX. Diſtinguit tamen S. Thomas 2. 2. *qu.* 10. *art.* 10. inter prælationem, ſeu dominium Infidelium ſupra Fideles de novo inſtituendum, & prælationem jam inſtitutam, & dicit, quod prima *Nullo modo permitti debet: cederet enim hoc in ſcandalum, & in periculum fidei. De facili enim illi, qui ſubjiciuntur aliorum juriſdictioni, immutari poſſunt ab eis, quibus ſubſunt, ut ſequantur eorum imperium, niſi illi, qui ſubſunt, fuerint magnæ virtutis. Et ſimiliter Infideles contemnunt fidem, ſi Fidelium defectus cognoſcant. Et ideo Apoſtolus prohibuit, ut Fideles non contendant judicio coram judice Infideli. Et ideo nullo modo permittit Eccleſia, quod Infideles acquirant dominium ſuper Fideles, vel qualitercumque præficiantur ei in aliquo officio.* Quare Eccleſia Paganos, & Judæos arcet ab omni Magiſtratu, & Officio publico inter Chriſtianos, cap. *Cum ſit nimis* & cap. *Ex ſpeciali*, tit. de Judæis. Ubi etiam, cap. *Etſi Judæos*, vetat, ne Judæi habeant ex Chriſtianis nutrices, ſervos, aut ancillas. Imo ſi ſervus a Judæis ſit emptus ad ſervitium, ſtatim ac fit Chriſtianus, liberatur a ſervitute, nullo dato pretio, & ſimiliter vernaculus, ideſt, in ſervitute natus. Non eſt autem idem de ſervis aliorum Infidelium. Eo enim ipſo, quod Chriſtiani fiunt, non liberantur a ſervitute, neque poſſunt ſeipſos propria auctoritate a dominio ſuorum Principum ſe ſubtrahere; modo nullum immineat periculum perverſionis fidei, aut morum: quod ſi immineat, poſſunt fuga quærere libertatem, ſicut etiam citra iſtud periculum fugere poſſe, ut libertatem recuperent, ſervos bello captos probabile eſt.

X. Si vero loquamur de dominio, vel prælatione jam exiſtente, dicit S. Thomas, dominium Infidelium ſupra Fideles, per iſtorum converſionem ad fidem, per ſe non tolli. Et probat: quia *Dominium, & prælatio introducta ſunt ex jure humano, diſtinctio autem Fidelium, & Infidelium eſt ex jure divino: ſed jus divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione*: ergo *diſtinctio Fidelium, & Infidelium ſecundum ſe conſiderata, non tollit dominium & prælationem Infidelium ſupra Fideles.*

XI. His accedit: quod fundamentum dominii non eſt fides, aut gratia, ſed liberum arbitrium. Unde ſi homo fuiſſet creatus in puris naturalibus, fuiſſet capax dominii: & hoc dominium etiam Philoſophi a fide alieni cognoverunt eſſe in Regibus, ac Principibus. Cum ergo dominium fundetur in natura libertatis capaci, quam etiam habent Infideles, illud retinere poſſunt, ſicut in res varias, ita & in homines. Adde: quod articulus Wicleffi 15. dicentis: *Nullum eſſe dominum civilem, dum eſt in peccato mortali*, damnatus fuit in Concilio Conſtantienſi.

XII. Sed dices primo. *Eccleſiaſtici* 10. *ver.* 8. habetur: *Regnum a gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias &c.* Rurſus: *Hebr.* 7. *ver.* 12. legitur: *Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*: ſed revera per mortem Chriſti translatum eſt Sacerdotium ad Eccleſiam; ergo & lex translata eſt: ergo legiſlatio, & juriſdictio ad ſolos Chriſtianos tranſivit.

XIII. Reſpondeo ad primum textum, ex Eccleſiaſtico, quod ſi quid probat, probat, non ſola infidelitate, ſed aliis etiam peccatis poteſtatem dominativam amitti. —— Senſus ergo eſt, Deum ita juſte diſponere, ut propter peccata Regum, & populi, Regnum transferatur ad alios; ſicut Regnum Iſrael a Roboam ad Jeroboam, 3. *Reg.* 12. & tandem totus populus Judæorum traditus eſt Babyloniis captivus, & eorum Regnum everſum.

Ad ſecundum textum, ex Paulo, dico ibi non agi de juriſdictione temporali, & translatione legum civilium; ſed de translatione legis Moſaicæ in legem Evangelicam, quæ non in poſſeſſionem temporalium conſiſtit, ſicut illa, ſed Regni Dei. Dato tamen, quod loquatur etiam de juriſdictione temporali; non loquitur generaliter, ſed particulariter de ſolis Judæis, a quibus & Sacerdotium, & Regnum temporale translatum eſt in pœnam, juxta Danielis vaticinium *cap.* 9. Cui alluſit Chriſtus, quando videns Civitatem Jeruſalem flevit ſuper illam, prædicens ejus everſionem faciendam a Tito: nihilominus, & Titus & Babylonii injuſte geſſerunt, Hebræos temporali Regno ſpoliantes.

XIV. Dices ſecundo. Alexander VI. conceſſit Regibus Catholicis Ferdinando, & Eliſabethæ dominium omnium inſularum maris Oceani, uſque ad illud tempus inventarum, & poſtmodum inveniendarum: illæ autem inſulæ proprios habebant dominos, eſto Idololatras; ergo ob peccatum infidelitatis præfati Infideles ſpoliati ſunt dominio, & hoc auctoritate Eccleſiæ.

XV. Reſpondeo, neg. ant. Neque enim Alexander VI. conceſſit unquam, quod ſaltem directe dare non poterat: cum omnium, quæ in Mundo ſunt, ipſe Dominus non eſſet. Quare Paulus III. poſt Bullam Alexandri definivit, Indos verum, & proprium ſuorum Regnorum dominium habere: ſed cum nuntius ad Alexandrum perveniſſet, in illis inſulis, recens a Columbo detectis, inventos fuiſſe homines, agreſtes quidem, ac nudos incedentes, pacifice tamen viventes unumque Deum creatorem omnium agnoſcentes, qui ad ſuſcipiendam fidem Chriſti, & bonos mores induendos apti videbantur; ut poſſent ad illos lucrandos viri probi, docti, ac Religioſi, qui illos tute inſtruerent, ad illas parte mitti, & haberent locum, in quo ſedem figerent, ne a prædicatione Evangelii impediri poſſent: illarum inſularum per centum leucas Regibus Catholicis, eorumque ſucceſſoribus partem conceſſit, atque donavit. Quapropter non dedit eis facultatem deponendi Reges Indorum, vel eorum terras abſolute invadendi: ſed, ut illuc Prædicatores mitterent, ac tum eos, tum populos, qui converterentur, poſſent defendere, loca illa aſſignavit. Quia vero Reges illi prædicationi obſtiterunt, potuit Eccleſia, ad vindicandum jus, quod habet, ubique terrarum Evangelium prædicandi, & ad ſalutem eorum, qui jam fidem ſuſceperant, ſartam tectam tuendam, earum partium dominium ad Hiſpanos Reges transferre, qui primi Religionis ſemina in illas partes deportarunt.

XVI. Pro cujus majori explicatione adverto ex D. Thom. hac *qu.* 10. *art.* 8. quod eſto infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, non poſſint compelli ad fidem: *Sunt tamen compellendi a Fidelibus, ſi adſit facultas, ut fidem non impediant, vel blaſphemiis, vel malis perſuaſionibus, vel etiam apertis perſecutionibus. Et propter hoc Fideles Chriſti frequenter contra Infideles bellum movent; non quidem, ut eos ad credendum cogant, quia ſi etiam eos viciſſent, & captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent: ſed propter hoc, ut eos compellant, ne fidem Chriſti impediant.* Hoc autem Hiſpanos Reges feciſſe, & adhuc facere compertum eſt. Compulerunt quidem Indorum Reges, ne fidem, quam in eorum Regna æquiſſimo jure invehere tentabant, impedirent, eoſque victos Regno ſpoliarunt: ſed eorum ſubditos in eorum libertate reliquerunt, & adhuc relinquunt, ut fidem amplectantur, ſi velint, vel in infidelitate permaneant, ſi fidem amplecti nolint.

XVII. His omnibus addendum exiſtimo cum S. Thom. hac *qu.* 10. *art.* 10. quod etiam Princeps Infidelis Eccleſiæ non ſubditus ſuorum ſubditorum converſioni non obſtet; atque, ea ſecuta, eos a fide recedere compellat; neque titulo ſuæ infidelitatis maneat de facto privatus dominio: *Poteſt tamen juſte per ſententiam, vel ordinationem Eccleſiæ auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii, vel prælationis tolli: quia Infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper Fideles, qui transferuntur in filios Dei: ſed hoc quidem Eccleſia quandoque facit, quandoque autem non facit.* Et poſtquam dixit, Eccleſiam hoc facere cum Judæis, quorum ſervi ſtatim, ac fiunt Chriſtiani, a ſervitute liberantur, & cum aliis Infidelibus, qui Eccleſiæ ſubditi ſunt, addit: *In illis vero Infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ, vel ejus membris non ſubjacent, prædictum jus Eccleſia non ſtatuit, licet poſſet inſtituere de jure. Et hoc facit, ad ſcandalum vitandum; ſicut etiam Dominus, Matth.* 17. *oſtendit, quod poterat ſe a tributo excuſare, quia liberi ſunt filii: ſed tamen mandavit tributum ſolvi, ad ſcandalum vitandum. Ita etiam, & Paulus cum dixiſſet, quod ſervi dominos ſuos honorarent, ſubjungit:* Ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur.

Hoc autem jure uſum fuiſſe Alexandrum VI. dici poteſt. Videns enim expedire propagationi Religionis Chriſtianæ in Indiis, ut Indis jam converſis aliquis Rex Chriſtianus præficeretur, quo fides ibi naſcens educaretur; & ne periculum eſſet, ut continuantibus Regibus Infidelibus in dominio, in ſuis exordiis ſuffocaretur; cum ex naturali affectione ſubditorum ad ſuos dominos facile fit, ut ſubditi ſequantur mores, & Religionem ſuorum Principum: id maxime Indis jam converſis expetentibus, præficere potuit Regem Catholicum, qui ex Chriſtianis Principibus terras illas primus occupaverat.

§. III.

Alia Dubia ſolvuntur.

XVIII. Quia diximus, Principes Infideles, etiam Eccleſiæ, vel Principibus Chriſtianis non ſubditos, poſſe per Eccleſiæ Principes compelli ad fidem, vel Regnis ſpoliari; maxime ſi fidem impediant, vel blaſphemiis, vel malis perſuaſionibus, vel apertis perſecutionibus: videtur obſtare primo. Nam etiam idololatria includit magnam blaſphemiam: ſubtrahit enim Deo ſingularitatem dominii, & fidem opere impugnat; ut docet Sanct. Thom. 2. 2. *qu.* 94. *art.* 3. *ad* 2. & tamen idololatria non ſic impedit fidem, ut poſſint propter illam ab Eccleſia debellari.

XIX. Reſpondeo, quod blaſphemia fidei proprie eſt illa, quæ directam habet oppoſitionem cum confeſſione fidei, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 1. ſicut autem confeſſio fidei conſiſtit in verbis: ita blaſphemia fidei debet in verbis conſiſtere. Blaſphemia autem, quæ in idololatria includitur, ut dicit Sanctus Thomas, eſt blaſphemia operis; in quantum tribuens cultum Idolo, regium honorem, quem Deo immortali debebat, tribuit creaturæ, & ſic facit ipſo opere, quod faceret ore, ſi blaſphemaret; & hac ratione in omni peccato lethali blaſphemia includitur, quia Deo adimit rationem ultimi finis. Et tamen non ob omne peccatum lethale Infideles debellandi ſunt, ut diximus.

XX. At inquies. Blaſphemia operis, quæ in idololatria includitur, gravius peccatum eſt, quam blaſphemia oris: nam gravius eſt peccare facto, quam verbo. Cur ergo Eccleſia, ob blaſphemiam oris, poteſt debellare Infideles, ob blaſphemiam vero facti non poteſt?

Reſpondeo, rationem eſſe: quia jus Eccleſiæ conſiſtit in poteſtate tradita a Chriſto prædicandi fidem per totum Mundum, quæ prædicatio ore, & verbis fit: & ſic cum blaſphemia oris, qua Deus, & Chriſtus, qui ſunt materia prædicationis fidei, verbis impugnatur, directius ſe opponat prædica-

tioni, quam blaſphemia, quæ opere fit, quia directius ſe opponit confeſſioni fidei: per illam ſic injuriatur Chriſtus, & Eccleſia, ut in vindictam ejus poſſit Infideles ita blaſphemantes oppugnare.

XXI. Obſtare videtur ſecundo. Infidelis Princeps impediens, ne ſubditi ſuſcipiant fidem, aut eos, qui eam ſuſceperunt, abnegare compellens, utitur jure ſuo, quod habet ad conſervandum ſe in dominio; ſi enim vaſſalli fierent Chriſtiani, ipſo remanente Infideli, hoc ipſo, ut dicebamus, juſte privari poſſet dominio vaſſallorum Fidelium: at quilibet utens jure ſuo alteri non facit injuriam; ergo &c.

Deinde: Eccleſia ſolum jus habet prædicandi Evangelium, & conſequenter, ne impediantur Prædicatores ejus ab exercitio talis numeris: at inducere ſuaſionibus vaſſallos ne credant, non eſt impedire Prædicatores; ergo &c.

Præterea: Eccleſia ſolum jus habet, ut omnes relinquantur liberi ad credendum, vel non credendum: at puræ ſuaſiones hanc libertatem non tollunt: ergo &c.

XXII. Reſpondeo ad hæc. Ad primum dico. Principem habere quidem jus conſervandi ſe in dominio, ſed apponendo media directe oppoſita, & pugnantia propagationi fidei: ſuaſio autem, vel quæcumque alia, etiam ſolum moralis, retractio Principis a credendo, magni ponderis eſt ad retrahendos vaſſallos a ſuſceptione fidei. Unde Princeps ita ſe gerens violaret jus fortius, quod a Deo habet Eccleſia, ad ſubjiciendos omnes homines Chriſto, per voluntariam ſuſceptionem fidei.

Ad ſecundum neg. min. Dum enim retrahuntur Fideles quovis modo a ſuſceptione fidei, impeditur fructus prædicationis, ad quem Eccleſia mittit Miniſtros.

Ad tertium neg. maj. Non enim Eccleſia ſolum habet jus, ut populi relinquantur in libertate ad credendum; ſed ne contra fidem diſponantur, & ab auditu fidei removeantur. Addo: ſuaſiones Principum eſſe tantæ efficaciæ apud ſubditos, ut moralem, ſi non phyſicam, adimant libertatem oppoſitum faciendi: unde in jure habetur, quod quæ Principis precibus extorta ſunt, pro invalidis habeantur: preces enim Principis armatæ ſunt.

XXIII. Quæres: An Eccleſia habeat jus compellendi Infideles non ſubditos ad audiendum Evangelium?

Videtur quod ſic. Nam Eccleſia habet jus annuntiandi omnibus Evangelium; ergo habet jus compellendi omnes ad illud audiendum. Sicut ex quo habet jus remittendi omnibus peccata, habet jus compellendi homines, ut confiteantur.

Secundo. Eccleſia, ex dictis, habet jus removendi obſtacula, quæ impediunt prædicationem Evagelii: ſed qui audire nolunt, ponunt obſtaculum; ergo &c.

XXIV. Communis reſponſio eſt negativa, ſaltem quoad Infideles Principi Chriſtiano non ſubditos. Primo probatur. Quia Chriſtus mittens Diſcipulos ad prædicandum Evangelium non præcepit eis, ut repugnantes ad audiendum compellerent; ſed ut, ſi qui eos recipere noluerint in una civitate, pergerent in aliam, & excuterent pulverem de pedibus ſuis, ut ſupra diximus ex Matth. 10. v. 14. *Et quicumque non receperit vos neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Quod repetitur *Marci* 6. *v.* 11. & *Lucæ* 9. *v.* 5. Quod impletum legimus a Paulo, & Barnaba, *Act.* 13. *v.* 51. dum nolentibus quibuſdam Antiochiæ ipſos recipere: *Excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.*

Rurſus: quia medium ad ſuſceptionem fidei ordinatum eſt auditus, Roman. 10. v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Sed non poſſunt cogi ad fidem; ergo nec ad auditum, cum debeat eſſe proportio finis, & medii.

Addo: quod ex tali compulſione ſequerentur ſacrilegia, blaſphemiæ &c. & alia, quæ a fide retraherent potius Infideles, quam ad eam allicerent.

XXV. Quoad Infideles vero ſubditos degentes inter Chriſtianos, quales ſunt Judæi, cenſetur poſſe cogi ad audiendam certis diebus concionem Chriſtianorum, ne ſint Fidelibus ſcandalo. Hoc tamen non eſt eos compellere ad fidem, cum eis relinquatur liberum credere, vel non credere. Quod de Infidelibus non ſubditis cenſent aliqui: nimirum compelli poſſe, ut ſemel, vel iterum ſaltem verbum Chriſti audiant, relinquendo in eorum libertatem illud amplecti, nec ne. Sed probabilius cenſeo oppoſitum, ut dictum eſt: hi enim in nullo, nec in temporalibus Eccleſiæ ſubjiciuntur; ideoque illis liberum eſſe debet, & credere, & etiam audire. Quapropter.

XXVI. Ad primum dico. Ex illo jure ſequi, quod poſſit quidem omnibus, qui audire voluerint Evangelium, prædicare, & facere, ne Prædicatoribus illius locus denegetur; imo obſtare volentes, etiam per vim compecere, ut §. *præcedente* dictum eſt: non tamen, quod audire nolentes, ad audiendum per vim poſſit compellere. Neque eſt idem de jure remittendi peccata. Nam hoc eſt in Eccleſiæ ſubditos per Baptiſmum, quos ad confitendum peccata poteſt jure compellere.

Ad ſecundum nego minor. Neque enim omnes, qui audire nolunt, impedimentum ponunt prædicationi, ne illa fiat libere: cum multi tales ſolum recuſent audire, aliis nihil dicant, aut agant ad prædicationem impediendam.

DUBIUM III.

An Hæretici ſint compellendi ad Fidem?

§. I.

Sancti Auguſtini Mens.

I. Hujus S. Doctoris, ut refert ipſe, *Ep.* 48. modo 93. *ad Vincentium, c.* 5. fuit olim ſententia, hæreticos ad fidem, & unitatem non eſſe cogendos: *Mea* (inquit) *primitus ſententia non erat, niſi neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum; verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne victos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus.* Sed hanc ſuam opinionem fuiſſe falſam, potius quam contradicentium verbis, experientia, & exemplis, ſe cognoviſſe confitetur. Tum in ſua Civitate, quæ *cum tota eſſet in parte*, ſeu ſchiſmate *Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium converſa eſt*. Tum etiam multorum, qui ſive humano reſpectu, ſive conſuetudine, ſive ſecuritate, ſive maledicorum dictis, ſive quia in errore nati, in eo detinebantur; quibus legum terror oculos aperuit veritati: *Quam multi enim, quod certo ſcimus, jam volebant eſſe Catholici manifeſtiſſima veritate commoti, & offenſionem ſuorum reverendo quotidie differebant. Quam multos non veritas, in qua nunquam præſumpſiſtis, ſed obduratæ conſuetudinis grave vinculum colligabat, ut in eis compleretur divina illa ſententia* (Prov. 29. v. 19.) Verbis non emendabitur ſervus durus, ſi enim & intellexerit, non obediet. *Quam multi propterea putabant, veram Eccleſiam eſſe partem Donati; quia eos ad cognoſcendam Catholicam veritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos, pigroſque faciebat. Quam multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, qui neſcio quid aliud nos in Altare Dei ponere jactitabant* (Donatiſtæ enim, de quibus loquitur, ſicut Catholicos non vere baptizare aſſerebant, ita nec vere conſecrare exiſtimabant) *Quam multi nihil intereſſe credentes, in qua quiſque parte Chriſtianus ſit, ideo permanebant in parte Donati; quia ibi nati erant: & eos inde diſcedere, atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat. His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis Reges ſerviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant, jam volebamus: ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, jamjamque, & dilationum morulas amputavit &c.* Hæc Auguſtinus. Quæ ſi modernis hæreticis applicentur, dicere poterimus: quam multi aliquo ex prælaudatis titulis in hæreſi continentur; qui legum timore excitati, oculos veritati aperirent.

II. Quia vero Donatiſtæ opponebant: *Non invenitur exemplum in Evangelicis, & Apoſtolicis Litteris, aliquid petitum a Regibus terræ pro Eccleſia contra inimicos Eccleſiæ;*

Reſpondet S. Aug. citato loco *c.* 3. hoc verum eſſe: *Sed quia nondum implebatur illa prophetia:* Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, ſervite Domino in timore. *Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Pſalmo paulo ſuperius dicitur:* Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. *Veruntamen ſi facta præterita in propheticis libris figura fuerunt futurorum; in Rege illo, qui appellabatur Nabuchodonoſor, utrumque tempus figuratum eſt, & quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet Eccleſia. Temporibus itaque Apoſtolorum, & Martyrum illud implebatur, quod figuratum eſt; quando Rex memoratus pios, & juſtos cogebat adorare ſimulacrum, & recuſantes in flammam mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulo poſt in eodem Rege figuratum eſt; cum converſus ad honorandum Deum verum, decrevit in Regno ſuo, ut quicumque blaſphemaret Deum Sidrach, Miſac, & Abdenago, pœnis debitis ſubjaceret. Prius ergo tempus illius Regis ſignificabat priora tempora Regum Infidelium, quos paſſi ſunt Chriſtiani pro impiis: poſterius vero tempus illius Regis ſignificavit tempora poſteriorum Regum jam Fidelium, quos patiuntur impii pro Chriſtianis.* Prioribus ergo Eccleſiæ temporibus Imperatores Infideles injuſte perſequebantur pios Fideles; poſterioribus autem Imperatores Fideles juſte perſequuntur impios Infideles, mitiori tamen pœna: nam illi pœna capitis Fideles mulctabant, ut eos perderent, iſti pœna Infideles coercent, ut eos ſalvent: *Et certe longe ibi pœna ſeverior conſtituta eſt; illius quippe impietatis capitale ſupplicium eſt. De vobis autem corripiendis, atque coercendis habita ratio eſt, quod potius admoneremini ab errore diſcedere, quam pro ſcelere puniremini.* His S. Aug. ſedat Donatiſtarum querelas, & etiam noſtrorum temporum hæreticorum contra Eccleſiam, & Catholicos conclamantium; dum pœnis coercentur, ut ab errore ad veritatem, a qua receſſerunt, revertantur. Quibus jam occurrimus in vera Eccleſia, *Tom.* 1. *n.* 3. §. 6. *n.* 24. & *c.* 6. §. 3. *n.* 16. ubi res iſta fuſe tractatur.

§. II.

Reſolutio Dubii.

III. Dico. Hæretici, & apoſtatæ ſi redire ſponte nolint ad Eccleſiam, & fidem, pœnis etiam temporalibus coercendi ſunt. Conſtat ex Auguſtino ſupra laudato, quem Fidelis ejus diſcipulus S. Thomas ſequitur 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. Ubi poſtquam docuit, Infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, non eſſe compellendos, ut credant, ſubjungit: *Alii vero ſunt Infideles, & qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici, & quicumque apoſtatæ; & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt.* Et rationem dat ibidem *ad* 3. dicens:

dicens: *Quod ſicut vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis: ita accipere fidem eſt voluntatis; ſed tenere eam acceptam eſt neceſſitatis. Et ideo hæretici ſunt compellendi, ut fidem teneant.* Ex quibus hæc formatur ratio. Sicut Religioſus per emiſſionem voti ſolemnis Religionis fit ſubjectus Religioni; ita homo per ſuſceptionem fidei in Baptiſmo fit ſubjectus Eccleſiæ: at Religioſus, etſi libere voverit, poſtquam tamen emiſit votum, ex neceſſitate ſubjectus eſt Religioni, ac Superioribus ejus, in ordine ad ea, quæ ſpectant Religionem; ita ut poſſit ab eis cogi ad ea, quæ vovit, & profeſſio eſt obſervanda: & ſi a Religione forte diſceſſerit, poteſt pœnis etiam temporalibus compelli, ut ad eam revertatur; ergo homo, qui vovit in Baptiſmo fidem Chriſto, & Eccleſiæ, poteſt legitime compelli ad eam ſervandam, & ſi ab ea receſſerit, etiam pœnis corporalibus coerceri. Verum ſi ex hujuſmodi coactione ſequeretur, multos ficte tantum ad veram fidem redire, ex eorum malitia eſſet: Eccleſia enim eos trahendo utitur jure ſibi dato a Chriſto, ut ſupra dictum eſt. *Dub.* 1. §. 2. *n.* 20. & 21.

Quod ſi quis audire iterum velit S. Auguſtinum, adeat illum, *Epiſt.* 50. modo 185. *ad Bonifacium c.* 6. & 7. & *Serm.* 33. *de Verb. Domini*, modo *Serm.* 12. ubi *c.* 7. ad illa verba, Lucæ 14. v. 21. *Exi in vias, & ſepes, & quos inveneris coge intrare*, ait: *Quos inveneris, ut dignentur, noli expectare, coge intrare. Magnam cœnam, magnam domum paravi, non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis & vicis Gentes. Veniant de ſepibus hæretici: hic inveniunt pacem. Nam qui conſtruunt ſepes, diviſiones quærunt. Trahantur a ſepibus, evellantur ab ſpinis. In ſepibus hæſerunt, cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, noſtra intremus. Non hoc Dominus imperavit: Coge, inquit, intrare. Foris inveniatur neceſſitas, naſcitur intus voluntas.* Hæc ſufficiant pro præſenti Tractatu.

TRACTATUS UNDECIMUS.

DE SPE THEOLOGICA.

EIdem naturæ ordine ſequitur ſpes; poſtquam enim fides propoſuit intellectui æterna bona credentibus repromiſſa, & & intellectus aſſenſum præbuit, naſcitur in voluntate ſpes in Deum auxiliatorem ad ea conſequenda. Merito igitur tractatui de fide tractatum de ſpe theologica ſubjicimus, quæ deſcribi poteſt, quod ſit: habitus per ſe infuſus, quo in Deum divina bona conferentem ſperamus. De hac agit S. Th. 2. 2. *quæſt.* 17. & 18.

QUÆSTIO I.

De Spe quoad ejus Eſſentiam.

DUo circa eſſentiam ſpei theologicæ præcipue occurrunt inveſtiganda. Primum, an ſit vere virtus theologica. Secundum: quodnam ſit ejus objectum.

DUBIUM I.

An ſpes inter Virtutes Theologicas ſit recenſenda?

§. I.

Prior Reſolutio.

I. DIco primo. Spes eſt vere, & proprie virtus. Reſolutio hæc eſt contra Durandum, in 3. *diſt.* 26. *q.* 1. aſſerentem, quidem ſpem eſſe virtutem, quia inclinat voluntatem ad bonum actum; non tamen eſſe virtutem ſtricto, ſed largo modo. Eam tamen expreſſe docet S. Th. hac 2. 2. *q.* 17. *a.* 1.

Notandum tamen cenſeo: ſperare aliquando ſumi ampliſſime, & improprie pro quavis expectatione futuri eventus, ſive boni, ſive mali: unde eſt illud Judith. 13. v. 15. *Sperabant, eam jam non eſſe venturam*, Sed hoc eſt timere potius, quam ſperare: unde Aug. in Enchiridio c. 8. *Spes* (inquit) *nonniſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur.* Ad differentiam fidei; quæ, ut ait S. Aug. ibi paulo ſuperius *Eſt . . . & malarum rerum, & bonarum, quia & bona creduntur, & mala, & hoc fide bona, non mala. Eſt etiam fides, & præteritarum rerum, & præſentium, & futurarum: credimus enim Chriſtum mortuum, quod jam præteriit; credimus, ſedere ad dexteram Patris; quod nunc eſt: credimus venturum ad judicandum, quod futurum eſt. Item fides & ſuarum rerum eſt, & alienarum. Nam & ſe quiſque credit aliquando eſſe cœpiſſe, nec fuiſſe utique ſempiternum, & alios, atque alia: nec ſolum de aliis hominibus multa, quæ ad Religionem pertinent, verum etiam de Angelis credimus.* Convenit autem ſpes cum fide, quod ea, quæ ſperantur, & quæ creduntur, non videantur, *Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes, Nam quod videt quis quid ſperat?* ait Paulus, *Rom.* 8. *v.* 24. Et de fide, ad *Hebr.* 11. *v.* 1. Fides eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* His prænotatis.

II. Prob. Aſſertio ratione S. Thomæ *a.* 1. citato, ſic. Actus, qui facit actum hominis bonum, & attingentem debitam regulam, eſt habitus virtutis proprie talis, quia, ut habetur in 2. *Ethic. c.* 6. virtus uniuſcujuſque rei eſt, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit, ſed hujuſmodi eſt ſpes; ergo &c. Maj. prob. Nam in omnibus regulatis, & menſuratis bonum conſideratur per hoc, quod aliquid propriam regulam attingit: ſicut dicimus, veſtem eſſe bonam, quæ nec excedit, nec deficit a debita menſura. Min. quoque ſuadetur. Nam debita regula actuum humanorum, vel eſt homogenea, & hæc eſt ratio; vel eſt ſuprema, & excedens, & hæc eſt Deus: ſed ſpes diſponit hominem faciens, ut ab ipſo, mediante ejus auxilio, expectet homo beatitudinem æternam; ergo &c.

III. Sed dices primo pro Durando. Vera virtus, utpote diſpoſitio perfecti ad optimum, debet eſſe habitus ponens potentiam in ultimo perfectionis debitæ ſuo actui: ſed ſpes non eſt hujuſmodi, relinquit enim ſperantem adhuc in ſtatu imperfecto, utpote re ſeparata carentem; ergo &c.

IV. Secundo. Timor non eſt virtus; ergo nec ſpes: ſicut enim ſe habet ſpes ad bonum; ita timor ad malum.

Immo ſicut timor non eſt vitium, ita neque ſpes erit virtus; ſpes enim, & timor opponuntur, cum nemo timeat bonum, quod expectat.

V. Tertio. Continentia, & conſtantia eſto ſint habitus boni, virtutes tamen non ſunt, quia non ſunt principium perfectæ actionis: cum non ſupponant paſſiones iraſcibilis, & concupiſcibilis pacatas, & frænatas; ergo a pari ſpes, quæ non ſupponit ſubjectum in poſſeſſione boni, non erit virtus proprie talis.

VI. Quarto. Virtus per ſe habet delectationem: ſed ſpes non habet delectationem: cum enim per ſpem expectemus aliquid abſens, non eſt de illo gaudium, ſed potius triſtitia, juxta illud Prov. 13. verſ. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam.*

VII. Quinto. Virtus verſatur circa difficile: ſed non eſt difficile ſperare promiſſa; ergo &c.

VIII. Reſpondeo ad primum cum S. Thom. hoc *art.* 1. *ad* 3. diſt. min. Per comparationem ad id, quod ſperat, conc. min. Per comparationem ad regulam, cui innititur, nego min. *Ille, qui ſperat* (inquit S. Doctor) *eſt quidem imperfectus ſecundum comparationem ad id, quod ſperat obtinere, quod nondum habet: ſed eſt perfectus quantum ad hoc, quod jam attingit propriam regulam, ſcilicet Deum, cujus auxilio innititur.* Ut enim docet *Qu. unica de Spe art.* 1. *ad* 4. perfectio virtutis non conſiſtit in hoc, quod conjungat ſubjectum cum materiali objecto, nempe, cum re ſperata, ſed cum objecto formali, quod eſt Deus: *In hoc enim conſiſtit perfectio hominis, quod Deo inhæreat. Et ſimile eſt etiam de fide, quæ habet perfectionem ex eo, quod nondum videt ea, quæ credit; habet autem perfectionem ex eo, quod inhæret teſtimonio primæ veritatis: & ex hoc eſt virtus.*

IX. Ad ſecundum dico cum S. Thom. hac 2. 2. q. 19. a. 9. quod timor alius eſt humanus, & ſervilis, alius filialis, & caſtus. Primus quidem rationem virtutis non aſſequitur. Secundus tamen, qui inter dona Spiritus Sancti numeratur, a ratione virtutis prorſus non excluditur; cum, ut docet S. Doct. ibi *ad* 3. hujus timoris principium ſit charitas. Attamen *amor magis habet rationem virtutis, quam timor: quia amor reſpicit bonum, ad quod principaliter virtus ordinatur ſecundum propriam rationem . . . & propter hoc etiam ſpes ponitur virtus. Timor autem principaliter reſpicit malum, cujus fugam importat: unde eſt aliquid minus virtute theologica* —— Neque hujuſmodi filialis timor opponitur ſpei. *Non enim* (ut docet S. Th. ibi ad 1.) *per timorem filialem timemus, ne nobis deficiat, quod ſperamus obtinere per auxilium divinum; ſed timemus ab hoc auxilio nos ſubtrahere. Et ideo timor filialis, & ſpes ſibi invicem cohærent, & ſe invicem perficiunt.* Sed nec alii timores, qui boni ſunt, opponuntur ſpei, ut eſt virtus faciens expectare aliquod bonum a Deo, ſecundum legem ab eo conſtitutam; quia non ſunt de eodem; aliud eſt enim, quod ſperatur, aliud, quod timetur.

X. Ad tertium reſpondeo ex D. Th. hac 2. 2. *q.* 155. *art.* 1. quod continentia, & conſtantia cum ex ſua ratione non ſupponant paſſiones frænatas per temperantiam, & fortitudinem, non attingunt rationem perfectam virtutis; cum non ſint principium actionis perfectæ. At ſpes, cum inclinet hominem ad propriam regulam, ſcilicet Deum, eſt principium actionis perfectæ; & licet non ita perfectæ, ſicut erit poſſeſſio rei ſperatæ; ita tamen quantum patitur ſtatus viæ: eodem modo, quo actus fidei actus virtutis eſt, etſi non ita perfectus, ſicut actus viſionis Patriæ.

XI. Ad quartum diſt. maj. Delectationem de ſuo actu, conc. maj. Semper de objecto, neg. maj. Et eodem modo diſt. min. Reſponſio eſt S. Thomæ *Q.* 7. *de Spir. creat.* quæ eſt unica de ſpe, *a.* 1. *ad* 14. dicentis: *Quod duplex eſt delectatio. Una quidem de objecto actus: alia vero de ipſo actu. Prima autem delectatio non eſt propria virtutis; quia eſt aliqua virtus, ad*

quam pertinet dolere de ſuo objecto, ſcilicet pœnitentia. Sed ſecunda delectatio, quæ eſt de actu, eſt propria virtutis; quia unicuique habenti virtutem eſt deteſtabilis operatio, quæ eſt ſecundum proprium habitum: unde etiam pœnitens de dolore gaudet. Sic igitur ſpes in quantum cauſat delectationem de re ſperata, non cauſat delectationem per ſe, ſed per aliud; in quantum facit eam exiſtimare ut præſentem: ſed ſecundum quod cauſat delectationem de proprio actu, ſic per ſe delectationem cauſat.

Quod vero additur ex Proverbiis, non urget. Nam, ut ait S. Th. ibi ad 13. *Spes non affligit animam, ſed magis eſt cauſa delectationis, in quantum facit, rem ſperatam quodammodo eſſe præſentem, ſecundum fiduciam adipiſcendi: unde & Apoſtolus dicit. Rom.* 12. ſpe gaudentes: *ſed dilatio rei ſperatæ eſt; quæ quandoque affligit.*

XII. Ad quintum nego min. Sperare enim beatitudinem, & bona ſupernaturalia, ut oportet ad ſalutem, difficile eſt: cum nemo ſperare poſſit, ut oportet, abſque præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, ex Tridentin. *Seſſ.* 6. *Can.* 3.

XIII. Sed adhuc objicies. Qui ex virtute operatur, laudabiliter operatur: ſed qui operatur ex ſpe mercedis æternæ, non operatur laudabiliter; ergo &c. Min. prob. Qui ex motivo mercedis, ita facit, ut ſi non eſſet merces, non faceret, ſed hoc non eſt laudabiliter agere: ſicut nec laudabiliter ageret, qui abſtineret a peccato, ob metum gehennæ, ita ut tacite diceret: ſi non eſſet gehenna, a peccato non abſtinerem.

Confirmatur. Operari in ſpe præmii, vilis mercenarii eſt; ergo non laudabile.

XIV. Hæc Lutheranorum eſt oppoſitio, qui, ſicut oblatrant contra timorem ex gehennæ pœna conceptum, ut *de pœnitentia* ſuo loco videbitur: ita etiam ſpem condemnant, quæ non unice meritis Chriſti ſperet gloriam, ut hæreditatem promiſſam, ſed eam ſperet, ut etiam per propria merita, tamquam præmium, & mercedem obtinendam.

Eorum tamen errorem proſcripſit Tridentinum, Seſſ. 6. Can. 31 *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur: anathema ſit.* Et merito. Nam, ut idem Concilium, eadem *Seſſ. c.* 11. docuerat, ſcriptum eſt de Davide, Pſalm. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas . . . propter retributionem*: & de Moyſe dicit Apoſtolus, Hebr. 11. v. 26. quod *reſpiciebat in remunerationem*. Scriptura inſuper excitat ad operandum ſpe præmii, Matth. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum*. Coloſſ. 3. v. 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini . . . ſcientes, quia a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Scriptura autem non excitaret ad operandum ſpe præmii, niſi eſſet bonum, & laudabile.

XV. Ad objectionem autem in contrarium neg. min. Ad probat, neg. maj. Falſum enim eſt, quod ex hoc, quod quis intuitu vitæ æternæ aliquod opus faciat, ſi vita æterna non eſſet, illud non faceret; ſed infertur, quod non faceret ex illo motivo: poſſet enim idem facere ex alio motivo, vel obedientiæ, vel honeſtatis: vel ad ſummum, quod ſi tale motivum non extaret, mens maneret indifferens, ut faceret. Unde falſum eſt, quod actus, quo intuitu mercedis aliquid facio, includat alium actum, quo dicam: ſi tale motivum non extaret, non facerem.

XVI. Ad Confirm. ſimiliter dico, quod illud tantum eſt opus vilis mercenarii, quod quis non faceret, ſi non eſſet merces: qui autem operatur ex ſpe mercedis æternæ, non eſt ita diſpoſitus, ut dicebamus. Vide S. Thom. in 2. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *a.* 1. *ad* 5. Addo: quod operari ex ſpe præmii, qui ipſe Deus ſit, ſicut operamur per ſpem theologicam, non eſt operari ut vilis mercenarius: quia ſic operari, licet habeat pro motivo præmium, habet tamen pro termino, & fine amorem Dei, cum quo ſperat conjungi.

XVII. Quæres: An ſpes informis ſit virtus? Videtur enim quod non: quia ſperare vitam æternam ſine charitate, temerarium eſt.

Reſpondeo. Quod ſicut fides informis eſt quoad ſubſtantiam virtus, licet non habeat perfectum ſtatum virtutis, ut dictum eſt: ita & ſpes informis: quia utraque eſt principium boni actus tendens in bonum ſupernaturale, ſecundum regulam divinam, ex motione Spiritus Sancti procedens, & diſponens ſubjectum ad ſtatum perfectum. Neque qui ſperat, charitatem non habens, ſperat beatitudinem conſequi ſine charitate; hoc enim eſſet temere ſperare: ſed ſperat, ſaltem tacite, conſequi remiſſionem peccatorum, atque ita charitate ornari, qua poſſit pervenire ad beatitudinem.

§. II.

Reſolutio Poſterior.

XVIII. DIco ſecundo. Spes divina eſt virtus infuſa, & theologica. Quod ſpes ſit virtus infuſa, fidei dogma eſt, ſancitum in Tridentino, Seſſ. 6. c. 7. *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.*

Quod vero ſit virtus theologica, oſtendit S. Th. hac *q.* 17. *a.* 5. & in 3. *diſt.* 26. *q.* 2. *a.* 2. Quia virtus, quæ habet pro ſuo objecto principali immediato Deum, eſt virtus theologica: ſed hujuſmodi eſt ſpes; ergo &c. Min. Dubio ſequenti patebit, ubi agimus de objecto ſpei. Deus enim non ſolum eſt id, a quo, vel in quo ſperat; ſed eſt id, quod principaliter immediate ſperat ſpes: quod eſt caute notandum. Ad rationem enim virtutis theologicæ non eſt ſatis, Deum reſpicere, ſed requiritur ipſum reſpicere, ut objectum immediatum, & *quod*. Nam timor poteſt Deum reſpicere, a quo imminet malum, & tamen virtus Theologica non eſt: non enim poteſt habere Deum pro objecto, cum ab ipſo refugiat. Religio pariter Deum reſpicit, cui debitum cultum offert: & tamen non eſt virtus theologica, quia non Deum, ſed cultum Dei habet pro immediato objecto. Unde S. Th. Qu. unic. de ſpirit. creat. a. 12. ad 11. *Religio* (inquit) *habet Deum pro fine, non autem pro objecto, ſed ea, quæ offert colendo ipſum, & ideo non eſt virtus theologica. Similiter etiam ſapientia, qua nunc contemplamur Deum, non immediate reſpicit ipſum Deum: ſed effectus, ex quibus ipſum in præſenti contemplamur. Timor etiam reſpicit pro objecto aliquid aliud, quam Deum: vel pœnas, vel propriam parvitatem, ex cujus conſideratione homo Deo reverenter ſe ſubjicit.* Magnanimitas etiam poteſt a Deo ſperare magnum honorem: & tamen virtus theologica non eſt: quia eſto ſperet a Deo, non tamen ſperat Deum, ut objectum *quod*, & immediatum. Tum etiam: *quia eſt circa arduum, quod conſiſtit in rebus humanis, non circa arduum, quod eſt Deus*, ut S. Th. in 3. *diſt.* 26. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 4. Et hac *q.* 17. *a.* 5. *ad* 4. quod reſpicit arduum etiam propria poteſtate, non alterius auxilio conſequendum.

XIX. Dices tamen. Objectum *quod* ſpei eſt bonum arduum futurum auxilio Dei conſequendum; ergo objectum immediatum ſpei non eſt Deus, ſed aliquid ejus auxilio obtinendum.

Si reſpondeas, neg. conſ. & ſuppoſitum. Nam hoc bonum arduum, quod a ſpe expectatur, eſt ipſe Deus, ut divino auxilio in Patria poſſidendus. Quare reſpectu ſpei Deus eſt is, a quo, & in quo ſperatur, & ſimul etiam id, *quod* immediate ſperatur;

XX. Contra eſt, Deus non eſt bonum, quod immediate ſperamus; ergo nulla ſolutio. Ant. prob. primo. Illud eſt bonum, quod immediate ſperamus, de quo immediate delectamur in Patria: ſed delectatio noſtra in Patria correſpondens ſpei in via non eſt de Deo in ſe, ſed de conſecutione Dei; ergo &c.

Secundo. Illud eſt bonum immediate ſperatum, de quo immediate habetur deſperatio: ſed hæc non habetur immediate de Deo in ſe, ſed de conſecutione Dei; ergo hæc, non ille, eſt bonum &c.

Tertio. Id eſt bonum immediate ſperatum, quod eſt objectum concupiſcentiæ noſtræ; quia ſpes pertinet ad amorem concupiſcentiæ: ſed objectum amoris concupiſcentiæ non eſt Deus in ſe, ſed Deus ut aſſequibilis, & ut bonus nobis; ergo &c.

XXI. Reſpondetur, neg. antec. Ad primam probat. conc. maj., diſt. min. De conſecutione Dei de connotato importata, conc. min. Importata in recto, nego min. Deus ergo, ut conſequibilis, ita reſpicitur a ſpe, ut in recto reſpiciatur Deus; conſecutio vero ſolum de connotato: quare id, quod immediate, & ut objectum *quod* reſpicitur a ſpe, & de quo gaudet in Patria, eſt Deus non abſolute, ſed ut connotans aſſecutionem ſui. Sic qui ſperat acquirere pecuniam, habet pro objecto immediato ipſam pecuniam, connotata tamen pecuniæ acquiſitione, ſeu pecunia ut habenda.

Ad ſecundam eodem modo diſt. min. Deſperatio enim deſperat boni divini conſecutionem, importando bonum divinum in recto, & conſecutionem de connotato;

Ad tertiam eodem modo reſpondeo. Spes enim reſpicit Deum, ut bonum noſtrum: non ita tamen, ut bonum noſtrum ſit finis ſpecificativus, & cujus gratia; ſed ſolum finis effectus, & perfectibilis per ipſum Deum: ſicut dicimus, Deum miſiſſe Filium ſuum ad noſtrum bonum, ut nempe, eſſet ſalus, & perfectio noſtra;

DUBIUM II.

Quodnam ſit Objectum Spei.

§. I.

Reſolvitur de Objecto Immediato Quod.

I. BEatitudinem æternam eſſe id, quod ſpe theologica primario ſperamus, omnibus compertum eſt. Sed quia beatitudo æterna alia eſt formalis; & hæc eſt actus, quo Deum conſequimur, in quo actus creaturæ importatur in recto, & Deus in obliquo: alia vero eſt objectiva, & hæc eſt ipſe Deus, ut conſecutus, ſeu, ut conſequibilis per actus noſtros; in quo Deus importatur in recto, & conſecutio de connotato: hinc eſt, quod Durandus in 1. *diſt.* 26. *q.* 2. putat, ſolam beatitudinem formalem, non vero objectivam, eſſe objectum primario ſperatum a ſpe theologica. Alii vero conveniunt quidem in hoc, quod ſolus Deus, ſeu beatitudo objectiva in recto ſit objectum primarium ſpei; in modo tamen hoc explicandi diſſident. Nos in ſequentibus mentem noſtram exponemus: & primo de objecto primario *quod*, deinde de objecto *quo*, ſeu de ratione formali *ſub quâ*.

II. Dico primo. Objectum immediatum *quod*, & primario inſpectum a ſpe theologica non eſt beatitudo formalis, ſeu conſecutio Dei in recto ſumpta. Hæc aſſertio conſtat ex dictis, *Dub. præced.* Nam ſpes virtus theologica eſt; ergo debet habere pro objecto primario, & immediato aliquid divinum in recto; ſed beatitudo formalis nun dicit in recto aliquid divinum, ſed aliquid creatum, nempe, actum creatum conſecutivum Dei; ergo &c. Et ſane: ſpes theologica, in ratione virtutis theologicæ, univocatur cum fide, & charitate; ſed fides, ut vidimus, reſpicit immediate, & in recto aliquid divinum, nempe, divinam veritatem, charitas autem, ut vidimus, divinam bonitatem; ergo &c.

III. Dices. Objectum immediatum, & primario ſperatum debet eſſe aliquod arduum, poſſibile futurum: ſed Deus non